

Analys. Evang. Domin. 6. post Trinitatis, p. (mibi) 193. qui omninò consulendus, ac gladii pœnâ afficienda, hujusmodi mater, licet eventus non fuerit subsecutus, *Zieritz. verb. si sine vitæ periculo*, secus si in hujusmodi locum filium vel filiam collocat, ubi multi quotidie prætereunt, tunc enim conciliandæ à prætereuntibus misericordiæ gratiâ id fecisse præsumitur. Vide notata à *Matth. Steph. hic, Henr. Bocer. lib. 1. de omnis generis homicidio, c. 3. num. 173. per tot.* Utrum verò infantes publicè expositi, inventi, & educati, *Fündling* pro justis & legitimis liberis, an potius pro injustis, illegitimis, spuriiis, & nothis sint habendi & judicandi, ad hunc scilicet effectum, ut ad successiones, honores, dignitates, & munera Ecclesiastica & civilia jure admitti & promoveri possint, vel non possint? cum Illustri Cardinali *Gabriele Paleoto in tract. de noth. & spur. c. 63. & c. 20. & Eberh. Speckh. cent. 3. class. 1. q. 14. num. 1. p. 169.* defendemus; hujusmodi infantes publicè expositos pro justis & legitimis liberis habendos esse, & eos ad sacros Ordines, dignitates Ecclesiasticas, aliaq; publica munera & officia rectè promoveri; tametsi de eorum origine nemini quicquam constet. Dicitur de Bartolo, quod fuerit expositus, *Rebuff. de sentent. provis. glos. ult. num. 12.* Menos vetustissimus, Rex Phrygiæ, ex uxore Dindimine filiam procreavit, quam exponi jussit in monte, *Rosin. 2. antiq. 6.* Ad cujus jurisdictionem pertineat cura, & educatio infantum expositorum? consulendus *Dn. Henr. Bocer. de jurisd. c. 9. num. 16. cum seqq.* Videatur *Iohan. Pet. Surd. in tract. de alimentis, tit. 1. q. 81. tit. 5. q. 6. n. 27. tit. 6. q. 19.*

ARTICULUS CXXXIII.

Pœna abortus procurantium.

Si quis per escam, aut potum vim visceribus mulieris inferens partum vitalem abegerit, aut matrem enervaverit. fœminamq; sterilem effecerit, vide *notata ad artic. 21. Dn. Conrad. Dieter. Domin. 6. post Trinitatis, p. (mibi) 193.* utique si dolo malo id factum, vir tanquam homicida gladio, mulier verò, etiam in proprium corpus hoc modo delinquens, suffocatione in aquis puniatur, aut aliâ pœnâ ad mortem plectatur, *Zieritz. Gobler. hic.* Non minùs enim homicida, ut *Marfil. Ficin. in argumentis & commentariis in Platonis libros, c. 14. p. 789.* inquit, censendus est, qui hominem præripit nasciturum, quàm qui natum tollit è medio. Audacior quidem, qui præsentem abrumpit vitam, crudelior autem, qui lucem invidet nascituro, & nondum natos suos filios enecat. Impium ergo Eusebiæ reginæ facinus, quæ in aliis, quod leges puniunt, cum prohibere possêt, jussit, ut latius patet ex *Ammiano Marcellino lib. 16. rer. gestar. p. (mibi) 78. & ibidem in obs. Fr. Lindenbrogi, p. 57.* Huc quoque pertinent ea, quæ tradit *Dn. Henr. Bocer. de omnis generis homicidio, lib. 1. c. 1. num. 16. cum multis seqq.* Abactò autem fœtu nondum perfectè vitali, tunc pœna mitigatur, ut scilicet pœna extraordinaria, puta relegatio, vel fustigatio, vel similis ad arbitrium Judicis inferatur, *Stephan. hic, cui adde Farin. part. 4. in prax. crim. tit. de pœnâ abortum facientis, 14. q. 122. p. 6. nu. 144. & seq.*